

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Mendacium f
cum fontibus proximo et primo

Michi autem non absurdum uidetur omne mendacium esse peccatum, sed multum interest quo animo et de quibus rebus quisque menciatur. Non enim ita peccat qui consulendi sicut qui nocendi uoluntate menciatur, nec tantum ille nocet qui uiatorem menciendo in aduersum iter mittit, quantum is qui uiam uite mendacio fallente deprauat.

Augustinus in encheridion.

Item (Augustinus) in Enchiridion,
Michi autem non absurde uidetur omne quidem mendacium esse peccatum, sed multum interesse, quo animo et de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim ita peccat, qui consulendi, quomodo ille, qui nocendi uoluntate mentitur, nec tantum nocet qui uiatorem menciendo in aduersum iter mittit, quantum is, qui uiam uitae mendacio fallente deprauat.

Gratianus, *Decretum*, 2.22.2.12
(*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.871).

Mihi autem uidetur peccatum quidem esse omne mendacium, sed multum interesse quo animo et de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi uoluntate mentitur, aut uero tantum nocet qui uiatorem menciendo in diuersum iter mittit, quantum is qui uiam uitae mendacio fallente deprauat.

Augustinus Hipponensis, *Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate*, 6.18 (CCSL 46, M. Evans ed., p.58, ll.7-13).